ORATIO PRO INSTAURANDIS GYMNASII NEAPOLITANI STUDIIS A P. D. PROSPERO DE AQUILA...

Prospero : da L'Aquila padre (padre)

317.4

4

ORATIO

PRO INSTAVRANDIS

GYMNASII NEAPOLITANI STVDIIS

A

P. D. PROSPERO DE AQVILA

— Congregationis M. V.

REGIO PROFESSORE

Habita Nonis Nouembribus An. Aer.
Vulg. CIↃIↃCCLVII.

NICOLAO DE ROSA

EPISCOPO PVTEOLANO

VIRTVTE SPECTATISSIMO

CAROLI VTR. SIC. REGIS

A SACRIS ET CONSILIIS

MISTI FORI GYMNASIIQ. NEAPOLITANI

PRAEFECTO

ORATIVNCVLAM

PRO STVDIORVM AVSPICATIONE

IVBENTE IPSO

QVAM

PROSPER DE AQVILA

CONGREGATIONIS MONTIS VIRGINIS

NONIS NOVEMBRIBVS

ANNO CIↃIↃCCLVII

IN EO IPSO GYMNASIO HABVIT

PERPETVVM ANIMI TESTIMONIVM

PATRONO BENEMERENTISSIMO

D. D.

ORATIO

VT primum imperio tuo, ILLUSTRISSIME PRAEFECTE, mihi id non expectanti, haec est Oratio demandata, qua, more maiorum, de instaurandis mox studiis proluderem; quamuis aueret animus morem gerere: tamen reformidans doctorum, atque prudentium reprehensionem, illico iam sensi, prouinciam mihi dari durissimam. Quicquid enim tunc mente recogitabam, locum, diem, consessum, ipsamque rem; contra me cuncta simul facere videbantur. Quandoquidem hocce Musarum omnium domicilium, tem-

templumque Sapientiae ſacrum ; haec ſolemnis celebritas , quae Olympicam , Pythiam , Nemaeam quodammodo refert , poſtulant inprimis Xenophontem , cujus ore olim loquutae Muſae feruntur . Hos deinde , qui tecum conſident , Adminiſtros ſcientiarum , optimarumque artium lectiſſimos circumſpiciens , in ipſis reflorere ſane putabam ſuppares quum Tullios , diuinarum , humanarumque rerum ſcientiſſimos, tum Platones, aut Hippocrates, Celſos , Aeſchines , Molones , Quinctilianos . Tales , tantique Viri cum adeſſent , ego quidem nouus homo , & ferme profanus hinc procul eſſe debuiſſem . Quî enim fieri poteſt , vt, quod ſummis Oratoribus vix conceditur , pro dignitate ſatis ipſe valeam Iuuentutem ad ſtudia vniuerſa inflammare, nondum rite initiatus, facundiâ, ingeniique viribus inops, minuſque inſtructus magnarum artium diſciplinis ? Ipſa etiam dicendi forma , quam nonniſi venuſtam, & ſublimem hodierna lux appetit, quamque tot ante me Oratores peritiſſimi oſtentarunt, non modo ſermonis nitore, grauibuſque ſententiis , ſed pulcherrimis quoque eloquentiae floribus , iucundoque numerorum ſono ; mihi mentis aciem adeo perſtrinxit , vt eam ipſam, ne cogitatione quidem, concipere vnquam poſſe confiderem . At maximam ſuſcipien-

plendae rei diffidentiam reſtinxit tua; ILLUSTRISSIME PRAEFECTE, auctoritas, meaque obſequendi coeca voluntas abiectum ſic erexit animum, vt honeſtius ducerem obediendo labi, & veniam culpae, praeter voluntatem futurae, ab humaniſſimis Auditoribus poſtulare, quam ſpartam contumax refugere.

Ad vos itaque, optime ſpei Adoleſcentes, cum agatur res veſtra, iam conuerto ſermonem. Quoniam huc alacres, & ultro confluere ad comparandas ſcientias, ingeniumque ad eas factum, & cor inflammatum prae vos ferre videmini; ſuperuacaneum erit per veſtras me demittere aures, quanta ſit vobis exinde obuentura dignitas, vtilitas, iucunditas, veſtris nunc oculis plane ſubiecta fidelibus. Quos quippe huc illuc intuemini ampliſſimos, eximioſque Viros, his ſplendorem, gloriam, felicitatem, cetera, quibus adfluunt, bona, contulit vna doctrinarum peritia. Quo propius felices hos ipſos conſpicitis, eo magis flagrat cupiditas efficiendi, quò felices vos ſit conſequens aetas ex aequo praedicatura. Voti quiſque ſui vt compos fiat cumulatius, enixe Deum Optimum Maximum exoro. Sed vereor nimis (dicam quod ſentio), ne opinione citius vos nunc alacres vel retardet mox *Deſidia*, vel *Audacia* errones abducat extra or-

bem

bem rectae institutionis, probaeque disciplinae. Duo eiusmodi obstacula studiosorum progressui, plusquam dici potest, infensa, vobis ad literas colendas natis, omnino cavenda sunt; nimirum, *Desidia*, & *Audacia*.

Cum innumeri fere sint, qui suum ad litteras animum quotannis adiungunt, operamque in hoc Lyceo, priuatisque Gymnasiis conlocant, non abs re initio quaeram: quotusquisque, peracto studiorum curriculo, sat instructus, prosperisque successibus remeare domum consueuerit? Centesimum quemque, aut quinquagesimum vix laudari vndique audimus, ne illis quidem supputatis, quos natura torpidos genuit, & quasi noverca sic virtuti ineptos enutriit, vt miserandum in modum citra culpam cogantur ingens Sisyphi saxum reuoluere, mentem silice duriorem habentes, & seruitio corporis, quam mentis imperio aptiores. Illos equidem specto, quibus Auctor naturae propitius mentis aciem indidit idoneam scientiis liberalibus. Ex iis ipsis alios vix iter disciplinae ingressos, alios in medio ferme itinere quid aliud sistit, quo minus ad virtutis fastigium procedant, nisi *Desidia* serius ocyus irrumpens? Omnium profecto mortalium indoles, a labore molesto procliuis ad blandientem voluptatem, mouet paulatim laborio-

borioſae euiuſque exercitationis faſtidium, ad otiumque languidum pertrahit, quo in dies gliſcente, pleriſque addiſcentium ſic odioſum efficitur ſtudium, vt onus ethna grauius dicant ſe ſuſtinere, ſibique melius fore otioſam aetatem, & quietam abſque vllo labore, quam operoſam, & acerbam traducere. Proh Deus immortalis! quaenam in mentes hominum ſallacia irrepere poterit vnquam deterior?

Hoc pacto, Adoleſcentes optimi, vſuram lucis accepimus vniverſi filii Adae, vt vitam nonniſi laborioſiſsimam ducamus inter bonum, & malum, inter virtutes, & vitia mediam, rebuſque inter ſeſe pugnantibus circumſeptam. Quid ita? inquies. Quia nimirum debet virtuti exercendae locus eſse, Iſtiuſmodi *iugum graue*, vtar Eccleſiaſtici verbis (*a*), vnuſquiſque noſtrum, velit nolit, *vſque in diem ſepulturae* ferat neceſſe eſt: ſciturus, cuncta & corporis, & animi bona finitimis, aduerſiſque malis toties certe ſuccubitura, quoties probus animus non obſiſtat viriliter. Deus enim Optimus Maximus facturus hominem, cui virtutem ad viuendum proponeret, bonum, & malum, inquit La-

 ctan-

(*a*) Cap. 40.

ſtantius (*b*), offert, vt poſſit eſſe virtus; quae niſi malis agitetur, aut vim ſuam perdet, aut omnino non erit. Quemadmodum nequit locus eſſe victoriae, vbi aduerſarius nullus eſt; nec valetudinis, & ſanitatis voluptas, niſi ex morbo, ac dolore cognoſcitur.

Mirabilis idcirco prouidentia Creatoris contrarios animis noſtris adfectus naturales ingeneravit; cupiditatem, & metum, laetitiam, & moerorem. Cupiditate impellimur omnes ad bonum, aut id, quod boni ſpeciem oſtentat, adpetendum. A malo, aut ab eo, quod ſub mali ſpecie latet, refugimus metu. Vtque praeſens bonum qua verum, qua fallax laeti complectimur; ita praeſens quoque malum aut verum, aut falſum moerentes conamur abiicere. Ecquis itaque Stoicis fidem habeat cenſentibus, eſſe radicitus extirpandas, veluti animi morbos, has animi commotiones, naturâ ipsâ inſitas? Potius Peripateticos auſcultemus, qui eas fore ſalubrirer temperandas, & ratione duce regendas, rectius putant.

Hoc igitur veſtra quam maxime intereſt, Adoleſcentes, diſcrimen boni, & mali, ſeu virtutis, & vitii penitius dignoſcere, vt falſa boni ſpecie ne vos decepti, malum pro bono,

(*b*) Divin. Inſtit. De vero cultu lib VI. cap. 15.

no, vt a pleriſque fit, conſectemini aberrantes. Bonum profecto prima fronte moleſtum, & acerbum videtur; at beatos quidem efficit, qui illud virtute operoſa adſequuntur. Malum e contrario iucundum, & fugaci voluptate contectum, incautos allicit, eoſque in praeceps, neſcio quo fato, abducit miſerrimos, qui Boeoticam cantilenam recitare ſaepe coguntur. Inde fit, vt commutata vtriuſque ſpecie, quibus mens ſana eſt, ii ad bonum ſumma ope contendunt, in arduo poſitum, duros exantlando labores per ſemitam confragoſam, dumetis & anguſtiis perdifficilem, quouſque ad culmen euaſerint iucundiſſimum, & vberrimum, ſolidiſque voluptatibus adfluens. Quibus vero aeger animus, & inſipiens eſt, iſti ad malum proruunt deſidia inerti, per viam in primo aditu ampliorem, tritioremque, & inanibus voluptatibus iucundam, mox aſperam, & adeo praecipitem, vt labi, & peſtum ire, neceſſe ſit.

Diuinis id non modo traditur oraculis, ſed Philoſophis etiam exploratum eſt. Italicae Philoſophiae princeps Pythagoras, vt fileam ceteros, humanae vitae curſum bicorni literae *Ypſilon* ſimilem eſſe praemonuit ſcitiſſime auditores ſuos, eo ſane conſilio, vt ſtrenuis, ac ſtudioſis ad arduum virtutis collem dexterum

iter, quod tenerent, oſtenderet; laeuum alterum, quod effugere deberent, quodque defidioſi, & molles frequentant. Celebertimum ſummi philoſophorum principis monitum ab Auſonio vos iamdiu accepiſſe reor his verſibus (*c*)

Litera Pytagorae diſcrimine ſecta bicorni
Humanae vitae ſpecimen praeferre videtur.
Nam via virtutis dextrum petit ardua collem,
Difficilemque aditum primum ſpectantibus offert:
Sed requiem praebet ſeſſis in vertice ſummo.
Molle oſtendit iter via laeua, ſed vltima meta
Praecipitat captos, volutatque per ardua ſaxa.
Quiſquis enim duros caſus virtutis amore
Vicerit, ille ſibi laudemque, decuſque parabit.
At qui deſidiam, luxumque ſequetur inertem,
Dum fugit oppoſitos incauta mente labores,
Turpis, inopſque ſimul miſerabile tranſiget aeuum.

Id porro in biuio iſſo animadvertendum, Adoleſcentes: dexterum iter ingreſſis nunquam deeſſe lucem, qua fit, vt gradus inter offendicula tutos moueant: laeuum vero tenebricoſum, tantiſque flexibus eſſe contortum, vt ſaepe in laqueos, inſidiasque praeter expectationem incidant. Enim vero *ſemita recta,*

(*c*) Apud Lactant. cum Notis Nicolai Lengleti de vero cultu lib. VI. cap. 3.

Ita, quaſi lux ſplendens, procedit, ait Salomon in Proverbiis, *& creſcit vſque ad perfectum diem* (*d*). Et alibi: *Si ſcientia animae tuae placuerit, conſilium cuſtodiet te, & prudentia ſeruabit te, vt eruaris a via mala, & tenebroſa* (*e*). Quo magis itaque lux differt a tenebris, eo longius Sapientia ab Salomone dicitur ſtultitiam praecedere. Quandoquidem Sapientia oculatiſſimos efficit: ſtulti contra procul eam habentes, nec in vertice cerebrum, neque oculos in capite geſtant. Quod & Homerus elegantiſſime cecinit.

Lux item iſtaec ſingulis mortalium mentibus indita, videlicet intelligentia, ratio, aut ſciendi facultas, quo ex genere orta, rogatus Zeno, ignem id eſſe cenſuit. Nos radium diuinitatis rectius dicimus. Fons quippe luminis Deus ipſe eſt, & illuſtrator creatarum mentium, quas ſuam ad imaginem effinxit. Hinc Plato humanam formam eſſe θειοειδες ait, hoc eſt *Deo ſimilem* (*f*). *Hoc enim animal prouidum*, inquam cum Tullio, *ſagax, multiplex, acutum, quem vocamus hominem, praeclara quadam conditione generatum a ſummo Deo eſt: & ex tot ani-*

(*d*) Cap. 4. 18.
(*e*) Cap. 2. 11.
(*f*) Lib. de Republ.

animantium generibus, atque naturis ſolum eſt rationis, & cogitationis particeps, cum cetera ſint omnia expertia (g). Attamen lucem hanc, humanae vitae ducem, tenebrae non modo circumdant denſiſſimae, ſed furentes quoque venti prauorum adfectuum ex aduerſo in eam facuiunt, eam ipſam penitus extincturi, niſi nos caute foueamus, nouaſque vires illi addamus in diem operoſo ſapientiae ſtudio, oleumque ſcientiarum ſuperinfundamus.

Cum iſta ingenita fax cunctos ad virtutem ex ſeſe primum excitet, factum eſt, vt Zeno, hominem ad virtutem eſse genitum, fateretur. *Eſſe ingeniis noſtris ſemina innata virtutum, quae ſi adoleſcere liceret, ipſa nos ad beatam vitam natura perduceret*, falſus eſt cum Zenone Tullius (b). Vt vero ſegetes foecundae, & vberes non fruges modo, verum herbas etiam inimiciſſimas frugibus effundunt: ſic in humanis ingeniis modo leuia quaedam, modo aliena, & inutilia, & lerifera gignit, alitque deſidia, quae propterea quiſque laborioſa virtute debet reſecare, comprimere, euellere, vt virtutis fructus ad maturitatem, copioſamque meſſem perducantur.

At

(g) Lib. I. de Legib.
(b) Lib III. Tuſcul.

At quis eos in numerato habeat, in quibus ne infoecunda quidem virtutum ſemina deſidia fecit, ſed vt aerumnoſa etiam ſine frugibus ex iis germinarent & marcida folia, & virulenta, ipſoque veneno pernicioſiora? O prava, & virtutis inimica, & inſcia verae voluptatis pigritia, quae tranquillum, & proſperum oſtentando initium, tot tantoſque trahis ad turbulenta, ac triſtia poſteriora!

An haerebitis adhuc, adoleſcentes, inter ſeueram Virtutem, Deſidiamque doloſam nutabundi, vtram vobis expediat conſectari? Quotquot per orbem terrarum praeteritis aetatibus celebrantur Viri omnium glorioſiſſimi, laborioſum virtutis iter a prima iuuenta ingreſſi, conſtanti animo tenuere. In ſomniis Hercules vix ephebus ſertur a Xenophonte, vidiſſe virtutem, ac voluptatem deſidioſam mutuo contendentes, vt eum ipſum alterutra ſibi vindicaret. Ad rem noſtram ſi quid faciunt inſomnia eiuſmodi (arcana potius dixerim): illud quidem Salomonis exploratiſſimum, quam alia aetatis fabuloſae commemorare malim, niſi ei ſupra naturae leges tantam eſſet ſapientiam largita diuina inſpiratio, quantam mortalium nemini vnquam aemulari fas eſſet. Sunt enimvero, quos aemulemur, plurimi ad ſcientiarum culmen per labores herculeos quidem,

dem, at humanis viribus pares; profecti: Immortalis Pythagoras nonne Aegyptios, Syros, Babylonios, Auxonios adiit, vt ab iis initiatus secretiora Philosophiae adyta penetraret? Easdem fere eo ipso animo regiones peragrarunt Plato, aliique innumeri, qua Graeciae, qua Romanorum Philosophi. Atque missis Iustino, Clemente Alexandrino, Origene, Basilio, Chrysostomo, Tertulliano, Augustino; quid nisi perardua horum imitatio maximum Ecclesiae doctorem Hieronymum peperit, circumspectis Palestinae locis, conloquutum cum Hebraeorum peritioribus, vt vtriusque foederis arcana penitius intelligeret? Insignes aeui sequioris Magistros, quos alii trigeminos, aliique vterinos fratres fuisse, vulgo fabulantur; puta Theologiae Scholasticae Petrum Lombardum, Iuris Canonici Gratianum Hetruscum, Historiae ecclesiasticae Petrum Comestorem, formauit labor immensus. Magnus ipse Cuiacius nonnisi improbo labore totam exhausisse Iurisprudentiam adfirmat. Ceteros quosque celebriores, quos longum esset enumerare, quosque sua ipsorum monimenta, & scripta innumera commendant, quid aliud eximios, & omni doctrinarum genere praestantissimos reddidit, nisi series immensa laborum?

Sed

Sed diſcrimina temporum, quibus ii floruere, nunc pauliſper animaduertatis velim, auditores: quippe quae duplo, & triplo maiores, quam nunc ſunt, difficultates ſtudioſis nectebant. Nam quoadusque Muſae omnes Italiâ, quanta quanta eſt, depulſae, exilioque mulctatae a Barbaris ſumma rerum potitis, amatores ſuos ad externas, ignotaſque regiones vocabant ad ſeſe, huc illuc profugas, & per Orbem diſperſas. Cumque vix rudimenta, & incunabula diſciplinarum in clauſtris Regularium abdita remanſiſſent; quid tum potuerunt addiſcere adoleſcentes, niſi diſciplinas turpiſſimis deformatas erroribus, praua omnium opinione ſuſceptis, vſuque corroboratis, veluti morbis natura inſitis, & immedicabilibus? Quid, niſi nugas, inaneſque Arabum quiſquilias? Fiebat exinde, vt quibus Apollo magis propitius fuiſſet, ii, & pauciſſimi quidem, terra, marique longius proficiſcebantur, tanquam ad mercaturam bonarum Artium, Scientiarumque: ſumma ope in id contendentes, vt peritiſſimum ex inacceſſis ſapientibus magiſtrum adirent, vel aliquod ex rariſſimis manuſcriptis quouis pretio compararent.

Vos itaque bona ſeculi noſtri, bona huiuſce principis Vrbis, a maioribus noſtris ina-

ni deſiderio expetita, intelligite. Heic Athenas, heic Cratippos iam habetis; & veſtrum cuique datur Corinthum adire. Proſtant & vobis, novo, ac prorſus diuino praeli beneficio & Phaleraei volumina, & quotquot vbique gentium ſapientiſſimi Authores conſcripſere. Patet ſimul hoc Regium Auditorium, quo tandem praeſentiſſimo Regis noſtri Numine vniuerſae ſunt Muſae reſtitutae. Praeſto iam ſunt, quos erudiendi audiatis, non vnius, vel alterius, ſed omnium ſcientiarum, artiumque Magiſtri, iique lectiſſimi, & diſertiſſimi. Quoad poteſtis, & licebit, ab ipſorum labiis, & latere ne vnquam diſcedatis; neue committatis, vt cum tanta vobis ſuppeditentur bona, voſmet vobis deeſſe videamini.

Maxima laborum parte quoniam vos quidem levat ſeculi felicitas, & ſummi Regis noſtri prouidentia; pars tantum minima vobis ſupereſt exhaurienda laboris, ſtudium ipſum concomitantis, quem nullo vnquam pacto remitti, vel minui, patitur ipſa rei natura. Quaenam ea ſit, ſi quaeritis: veſtram, aio, vobis operam enixe conlocandam & mente, & lingua, & calamo.

Parum erit vobis docentes audire, aut ſapientum ſcripta oculis luſtrare, niſi ad id-

ipſum,

ipſum, quod auribus, vel oculis accipietis, intentum in primis animum adiunxeritis, quietaque mente vobiſcum in ſolitudine primum recogitaueritis, velut ruminantes ſemicrudum cibum, vt in ſuccum, & ſanguinem conuertatis. Idcirco ſolitudinem, otiumque praeoptare Muſae dicuntur. Non illud vtique deſidioſum, quo inertes, torpidi, ac ſomniculoſi abutuntur; ſed quo probe vtuntur viri ſapientes, vel laborioſiſſimi. Conlaudat cum Catone Tullius Scipionem Africanum, quod in otio de negotiis cogitaret, & ſecum in ſolitudine loqui conſueviſſet. Atque illa ei fuiſſet in ore ſententia: *Nunquam ſe minus otioſum, quam cum otioſus; nec minus ſolum, quam cum ſolus eſſet* (*i*). Vos ergo nunc ad Africani otium, & ſolitudinem hortor, ratus, perinde vos, atque illum, acuendos otioſa ſolitudine, quae ceteris languorem adfert. Ab negotiis, ſeu verius tricis, ſtudio aduerſis, procul eſtote: ſemotique a coetu hominum, & frequentia, ſaepe domi cum Muſis hoſpitibus, Pythagoreorum more, vos metipſos recipite. Quid quoque die audieritis, legeritis, diſputaueritis, egeritis, commemoratote ve-

(*i*) Lib. III. de Offic.

ſpere. *Mens mea*, de ſemetipſo ait Salomon (*k*), *contemplata eſt multa ſapienter, & didici*. Nec ſine aſſidua mentis cogitatione Galilaeus, Carteſius, Newtonus, Leibnitius, aliique ſecenti, ea inueſtigaſſent, quae abditiſſima Philoſophiae arcana patefaciunt.

Mentis contemplationem mox excipiat linguae diſputatio. Cunctos vos academico more cum aemulis certare in diem, & ſaepe contendere, valde proficuum erit. Vt enim armis arma irritantur, & ferrum ferro acuitur; ſic ſtudioſus, coaeuo diſputante, incenditur magis ad meliores, ſagacioreſque aemulandum. Sane qui audiunt, quamvis infantes ſint ipſi, tamen illo ſe modo confidunt, poſſe dicere, atque ad prouocandos, reddendoſque ſermones, ardore imitationis impelluntur.

Diuturna etiam in legendo, ſcribendoque, exercitatio neceſſaria eſt. Optimus porro, & praeſtantiſſimus omnium magiſter, monente Tullio, eſt ſtylus. Et quemadmodum picturae ſtudioſis nil profuerit cognouiſſe Apellis, & Protogenis tabulas, niſi & ſua ipſi manu pingere tentauerint, ita & cuique operam ſcientiis daturo, nec audiuiſſe praeclara, nec legiſſe

(*k*) Eccl. cap. 1.

legiſſe profecto ſufficiet, niſi & ipſe, quotidie ſcribendo, ſeſe exerceat.

Ex aduerſo iam nunc proſpicio, futuram in labores veſtros irruptionem ſegnitie, quae vitam, vtique breuem, a longis artibus amouere contendet, & fatiſcemes per ardua animos, ad otioſa laxamenta abducere; non ſemel, ac iterum, ſed quoties cymbula mentis veſtrae in ipſo ſtudiorum initio in ſyrtes inciderit; vel gradus in dumeta, vepreſque difficultatum aſperas offenderint. At enimvero animis tunc opus eſt, ſtrenui tyrones, tunc pectore firmo. Tunc caueto, ne vela retrorſum detis, aut vertatis petiem. Ad irrumpentem tunc defidiam extrudendam, & debellandam contendite. viribus nequicquam remiſſis, veſtrorum labor ſtudiorum pernicioſa otii obſidione liberetur. Ita vos ipſos poteritis, quod recte ominor, ſummis ſcientia viris non pares modo, ſed etiam ſuperiores efficere. Quidni? cum ii aſpera vobis complanaſſent itinera, & fundamenta iam ſubſtruxiſſent altiora; cur vos, eorum laboribus addentes laborem, non addetis ſcientiam?

At videte nunc, Adoleſcentes optimi, ne ab alacritate aemulandi, vel antecedendi ſummos, tranſiliatis in *Audaciam* ingenij, al-

teram ſcilicet hoſtem ſtudiorum, mea quidem ſententia perniciosiorem ; de qua mox dicendum ſupereſt.

Fuere non pauci, vtinam futuri non alii, qui primoribus labris cum rudimenta ſcientiarum vix guſtaverint, totum ſapientiae oceanum ingurgitaſſe iactitarent : quique ſibimetipſis viderentur coelum digitis ſuis attigiſſe, meliore omnibus fato. Hinc ſuperbire ſolet ventoſa, & inſolens adoleſcentia, quod abunde miſera res eſt, intumeſcens inſtar pugillatorii ſollis. Hinc ſupercilioſi ſcioli ſe cunctis praeferentes arrogantia intolerabili, praedicant ſeſe, nedum naturae arcana, ſed diuina etiam penetraſſe primos : excuſſoque iugo rationis, rectaeque diſciplinae, audent quum obſcuriores humanae ſcientiae quaeſtiones arbitratu ſuo temere definire, tum impie limare primarias Religionis veritates. Sic alius Elephantem ex muſca ſe facit; alius nodos quoslibet herculeos ſe ſoluere gloriatur; ſe alius Euandri parentem alterum iactat; alius in ſcirpo nodum quaerit, aliuſque Gigantum more cum Diis debellantium, bella movet Deo Optimo Maximo. Proh nefas! Tumidos iſtiuſmodi ſaperene, an inſanire dixerim ? Num manus adfecta recte eſt, cum in tumore eſt ? Nonne aliud quod-

piam

piam membrum turgidum vitioſe ſe habet? Sic perinde inflatus, tumenſque animus in vitio eſt, eoque exitioſiſſimo.

De illis quid dicendum, qui elementa vel Iuris, vel Medicinae cum vix conſcripſerint, praetexta depoſita, cito virilem togam adſumunt? Quique nonnullos vix menſes, ne dicam dies, cum ſalutauerint eximij Cauſidici, aut Medici domum, Patronos Cauſarum, Medicoſque marte ſuo ſe faciunt, ſuamque locare operam incautis Clientibus audaciſſima confidentia non dubitant? Ve miſeris conciuibus, in horum manus iniquo fato prolapſuris! Periere ſcilicet funditus, primumque de horum ipſorum parentibus, conſanguineis, neceſſariis iam conclamatum eſt. Iſti fere iidem ſunt, qui ſenes, dignioreſque ciuium ſedibus ſuis deturbare non verentur, & bella ciuilia in ſuo quiſque Oppido concitare.

Vos vero ad meliora nati, atque ad meliora formandi, Sapientiae Candidati, audaciam iſtorum oderitis cane peius, & angue. Ne tumidos, arroganteſque Iuuenes iſtos aemulemini, ſed ſenes potius cordatiſſimos, eo modeſtiores, quo ſapientiores. Solon gloriabatur, ſe quotidie, aliquid addiſcendo, ſenem fieri. Laudatoque priſcorum prouerbio monemini;

vos

vos mature fieri fenes, ſi diu velitis eſſe ſenes. Seneƈtus porro non annis diuturna, & longaeva, ſed praecoci ſapientia fit venerabilior. Et quale cuiuſque ſtudium in vita ſuperiore fuit, vir prudentia ſenex tale ſemper aliquid agit, & molitur, fraƈtis etiam corporis viribus: ſimul fruitur ſolidis quaeſitae ſapientiae fruƈtibus; & quiſque ſuae vitae ſemina iaƈta metit.

Summorum quidem Sapientum adoleſcentia, mihi credite, voluntarie non intumuit; ſed ſuperbientem naturae adfeƈtum in ſemetipſis coercere ſtuduerunt: agnoſcentes, quam exiguum ſit hominis ingenium, cui Mundi Opifex opera ſua ſic abdidit, vt nec veritatem omnem in puteo demerſam, ſaepius inuenire; nec coeleſtia ſine revelatione inquirere poſſet: ſciturus exinde infinitam inter Creatorem, creataſque Mentes diſtantiam. Salomon ipſe de omnibus, quae ſub ſole fiunt, nonniſi pauca, eaque maximo quidem labore, ſciri poſſe fatetur; quaeque coeleſtibus, diuiniſque comparata, nihili facienda eſſe arbitratur.

Gentium quoque ſapientiores Philoſophi, in deuexa etiam aetate ſe pauca didiciſſe, & plura ſuperfuiſſe addiſcenda, quam didiciſſent,

ſent, teſtati ſunt: praeſertim Socrates, Theophraſtus, ceteri. Et maxime decrepiti non erubeſcebant, nouum quotidie aliquid ſcientiae ſuae addere, quamuis alterum in cymba Charontis pedem haberent. Ita ii laborem non intermittentes vnquam, inſitamque naturâ arrogantiam ingenii cohibentes, ad illud humanae ſapientiae faſtigium peruenere, quo fas eſt hominibus conſcendere.

Eorumdem vos gloriam aemulantes, video equidem Scientiis, Artibuſque comparandis operam daturos: at fraeno contra *Audaciam*, calcaribus contra *Deſidiam* opus habetis. Si duo haec vitia in vtroque ſtudiorum confinio eſſe noſtis, conſequens eſt, vt virtus ſit in medio vtriuſque ſita, quae non perficitur, niſi aduerſis adfectibus, eam oppugnantibus, exerceatur. Rectius ergo vos nunc in triuio, quam ambiuio ſtantes, virtutem mediam pleno gradu ſectemini, contendentes remis, veliſque, vt ſedulo hinc ſcyllam vitetis, illinc Charybdim. Illecebras deſidiae voluptates cauete. Cum Architа Tarentino vos commoneam, nullam hominibus peſtem capitaliorem, quam corporis voluptatem a natura datam, quae ſane malorum omnium eſca dicitur a diuino Platone. Si ſapientes eritis vobis metipſis quidem

eritis.

eritis. Vos propterea fore non desides, nec audaces velim; sed patientes quum laboris, tum disciplinae. Quae vitare, quaeque amplecti in studiis vestris debeatis, iam probe scitis. Vestrum erit, ea ipsa facere: aliàs illud in vos probri plenum vere dicetur, quod quidam Spartanus dixit: *Athenienses scire quae recta essent, sed facere nolle.* Dixi.